

cilium Tridentinum approbasse vulgatam tamquam authenticam quantum ad versionem, et interpretationem, in quo nihil correctum est postea ab Ecclesia, ut dicitur in ipsa præfatione ad biblia correctæ Sixti. Quoad correctionem autem a mendis librariorum, quibus omnes libri subjecti sunt, Concilium nihil determinavit, sed id Ecclesiæ reliquit faciendum. Quod si instes: Ergo si sint plures lectiones circa aliquem locum in particulari, et illæ sint probabiles nec altera reprobata ab Ecclesia, in illo loco non habebimus Scripturam canonicam, et sic in locis innumerabilibus Scripturæ vulgatæ editionis in quibus habetur diversa lectio, sicut videre est in annotationibus Francisci Lucae, non habebimus visibilem regulam fidei, quam sequamur determinate cum illæ lectiones diversæ sint, et diversum sensum reddant: ex quo ulterius tota Scriptura periclitatur: unde enim sciam in quocumque loco determinate non esse varias lectiones. Respondet pater Lorca ubi supra disp. ix, n. vii tunc solum esse certum quod aliqua, una, aut altera lectio est de fide; incertum vero quænam sit determinate, quia Ecclesia id nondum definivit, sed in corde Ecclesiæ est principium ut veritas decernatur. Sed hoc non caret inconvenienti, quia Ecclesia totam Scripturam cum omnibus suis partibus tamquam de fide proponit visibiliter; ergo si possumus dicere quod prout habetur in libro non est nobis certum quod sit de fide, non omnia illius libri vulgatæ editionis teneor accepisse tamquam de fide; præsertim quia declaratio cardinalium supra relata præcipit ut nec una dictio, aut iota unum repugnet editioni vulgatæ.

LXI. Respondetur ergo, quod ubi sunt illæ variæ lectiones probabiles Ecclesia proponit in illis Scripturam

disjunctive, quia certum est in illis contineri veram, et authenticam Scripturam vulgatam, non tamen determinate, sufficit enim quod non admittamus aliquid repugnans vulgatæ, sed habeamus vulgatam pro authentica; non est autem inconveniens quod in aliquibus locis propter varietatem lectionum ipsa vulgata proponatur nobis disjunctive, et non determinate, et si determinate constet in illa disjunctiva esse vulgatam, et ita quoad aliquod proponitur nobis illa regula fidei certo, et determinate visibiliter, quoad aliquid nondum determinatur visibiliter, sed solum in corde Ecclesiæ sunt principia ad id determinandum. Proponitur enim illa disjunctiva lectionum determinate esse Scripturam, sed non proponitur quænam ex disjunctivis sit determinate correctior. Hoc autem in paucissimis locis contingit, et in rebus parvi momenti: nam quando non est aliqua magna difficultas in lectione correctæ, et magna probabilitas in opposita, semper ea quæ est correctæ, et per Ecclesiam proposita retinenda est, et alia rejicienda. Imo existente probabilitate lectionum in ipso gradu probabilitatis correctæ lectio præferenda est. Unde Clemens VIII in suo brevi supra citato tandem permittit varias lectiones Scripturæ vulgatæ notare, non tamen in margine bibliæ, et alio genere characteris. Et denique in officiis Ecclesiæ repertæ sunt multæ ex lectionibus antiquissimis, ut in missis, quod signum est eas in singulari non esse reprobatas, quod etiam sentit Torres 2-2, disp. xxxii, cap. v. Ad secundam et tertiam rationem dubitandi, constat ex dictis, quod correctio Sixti, et Clementis collective, et si non sit definita, est tamen proposita judici Ecclesiæ, et ideo esset temerarium ad minus aliam præferre, licet divisive

in uno, vel altero loco aliqua altera lectio probabilitatem habeat, et quod possit vitari aliquid ex injuria typographiæ, aut scriptorum non obstat veritati Scripturæ, nam Ecclesia habet unde præsto emendare possit, et hoc quod est esse subjectum talibus erratis, aut vitiis est juxta naturam talium librorum, nec oppositum sine magno, et continuo miraculo contingere potest. Hoc ergo non officit auctoritati vulgatæ.

ARTICULUS II.

Utrum in canonizatione, et beatificatione sanctorum summus pontifex errare possit?

I. Primo supponendum est, quid importet canonizatio, quid beatificatio. Pro quo sciendum est, quod canonizatio importat decretum aliquod, seu judicium, aut testimonium tantæ auctoritatis, quod tamquam regula, et canon ab Ecclesia proponatur circa sanctitatem, et gloriam alicujus personæ. Itaque tres effectus operatur canonizatio. Primus est, determinare, et decernere, quod aliqua persona sit beata, et gloria Dei perfruatur: secundus, declarare et proponere illum Ecclesiæ tamquam sanctum per modum exempli imitandi: tertius, proponere illum Ecclesiæ, ut colendum cultu publico, et solemniori. Et dico publico, non quia solum fiat coram multis, sed quia fiat publica auctoritate ipsius Ecclesiæ, et non solum privata. Ita colligitur ex glossa Innocentii, et capite primo De reliquiis, et veneratione sanctorum, ut docet Sylvester, verbo canonizatio, et alii Summistæ, et cardinalis Thuscus, verbo canonizatio, conclusionem xli, ubi ex abbate in capite primo De reliquiis citato inquit, quod proprie canonizare est ali-

quem per summum pontificem catalogo sanctorum adscribere, ut habeatur pro sancto. Et ex forma qui solent pontifices canonizationem facere, quæ videri potest apud Bzovium in libro Romanus pontifex, cap. xxxii, et etiam sumitur ex variis extravagantibus Romanorum pontificum, ut ex bulla canonizationis S. Francisci de Paula apud Surium die 2 aprilis, et habetur tomo primo bullarii, bulla xxxviii Leonis X, ubi per modum definitionis determinatur, et definitur S. Franciscum de Paula inter sanctos jam acceptum, et sanctorum catalogo adscribendum fore, et tamquam sanctum colendum: idque similiter in aliis bullis canonizationum videre est, ubi illi tres effectus expresse definiuntur, scilicet illam personam esse jam in gloria, et pro sancto habendum, ut ejus exempla imitemur, et denique tamquam sanctum colendum.

II. Ad hanc autem canonizationem solet præcedere quasi duplex dispositio, qua paulatim aliquis cultu aliquo incipit coli, et venerari, scilicet beatificatio, et elevatio. Est autem beatificatio juxta cardinalem Thuscum citatum canonizatio particularis in uno loco, ut dicunt doctores ex tolerantia sedis apostolicæ. Unde aliqui moderni solent disputare, an beatificatio, et canonizatio conveniant in hoc quod utraque sit judicium Ecclesiæ de beatitudine alicujus hominis; an vero specie differant in eo quod una sit judicium, altera solum permissio, seu concessio. Et mihi probabilius videtur id quod sentit Thuscus (quod ex aliquibus modernis docet 2-2 Torres disp. xvii, dub. iii) scilicet beatificationem non esse judicium ipsius pontificis saltem ut caput Ecclesiæ, quidquid sit an ita judicet, ut particularis doctor, sed esse judicium congregationis cardinalium ad id

deputatorum cum permissione, seu concessione pontificis, atque ita beatificatio formaliter est permissio, seu facultas pontificis, ut aliquis possit haberi pro sancto, non vero iudicium determinativum. Ratio sumitur; tum ex forma beatificationis, quæ non datur per modum declarationis, et determinationis, sed per modum concessionis, audito enim iudicio congregationis pontifex indulget, et concedit id quod petitur; tum, quia solet dari limitate pro aliquibus provinciis, aut regionibus, aut locis, et non amplius. Si autem esset iudicium determinativum pontificis semper esset universale, quia quod pontifex iudicat tamquam caput universale Ecclesie, tota Ecclesia sequi potest; ergo de se solum se habet, ut facultas seu concessio ut aliquis colatur, habeatur pro sancto. Unde ulterius sequitur quod pontifex in tali particulari beatificatione non iudicat ipsam personam esse sanctam absolute, et simpliciter, qua impossibile est quod aliqua persona iudicetur esse sancta absolute, et simpliciter, et solum in uno loco ejus permittatur celebratio, et cultus, et non in alio; ergo signum est quod beatificatio non fertur per modum iudicii determinantis ipsam sanctitatem personæ, sed solum per modum concessionis, et permissionis, ut de ipsa celebretur, et hæc permissio potest magis vel minus extendi, et permitti in Ecclesia. Et hoc ideo est, quia in jure prohibitum est, ne possit aliquis coli ut sanctus quantumcumque miracula faciat, nisi auctoritate Romani pontificis, ut patet in capite Audivimus de reliquiis, et veneratione sanctorum. Olim enim poterant episcopi in sua diocesi concedere licentiam, ut aliquis coleretur pro sancto, ut sentit Waldensis, libro de sacerdotibus, titulo xiv, c. cxxii; Bellarminus libro primo

de sanctissima Trinitate, c. viii; Torres loco citato, dubio ii. Et ex his quæ infra dicemus, etiam aliquibus episcopis, qui sanctorum memorias ferri jubebant aperte colligitur. Id tamen prohibuit Alexander III, citato capite Audivimus. Hanc ergo prohibitionem pontifex sua auctoritate tollere, et permittere, ut aliquis colatur pro sancto, est beatificatio, et potest fieri pro aliquo determinato loco, vel pro omnibus prout pontifici visum fuerit, non quidem ferendo iudicium de sanctitate personæ, sed tollendo prohibitionem illam, et concedendo, ut possit ab Ecclesia coli plus, vel minus secundum merita causæ.

III. Quod si dicas: Nam pontifex approbat decretum congregationis, qua talis beatificatio petitur, ergo iudicat, et non solum permittit ejus venerationem: et confirmatur, quia permissio, seu concessio, ut coli aliquis possit pro sancto etiam in aliqua parte Ecclesie determinata supponit necessario iudicium de ejus sanctitate, si quidem Ecclesia non potest publice colere eum qui sanctus non sit; ergo hoc ipso quod fit talis concessio, consequitur etiam de sanctitate iudicium, respondetur pontificem approbare decretum congregationis concedendo, et permittendo, non sententiando, et determinando, id autem quod petitur in decreto congregationis non est quod pontifex iudicet de tali sanctitate, sed quod facultatem, et concessionem faciat, ut veneretur a fidelibus, et licet hoc non fiat per modum iudicii determinativi et sententiæ, sed per modum concessionis vocari potest optime approbatio. Concessio enim alicujus petitionis vocatur approbatio, non quidem confirmans, sed permittens, et concedens, et quia congregatio iudicat posse concedi talem facultatem, pontifex concedens dicitur approbare iudicium

congregationis. Ad confirmationem respondetur posse aliquem coli, et venerari pro sancto, etiam ante iudicium determinativum, etiam absolute de ejus sanctitate, dummodo ex miraculis, aut aliis testimoniis constet de ejus sanctitate, sic sublata prohibitione, quæ jubet id non fieri sine auctoritate Romani pontificis, etiamsi miracula faciat, poterit Ecclesia eum colere sicut etiam potest adscribi publico martyrologio Ecclesie inter alios sanctos, etiam ante canonizationem, et tamen hoc est quidam cultus, sicut fecit Clemens VIII de S. Ambrosio Sennensi. An vero ex tali cultu Ecclesie præsertim si universaliter fiat, colligatur infallibile iudicium de sanctitate alicujus, statim dicemus.

IV. Elevatio autem, quæ etiam præcedit beatificationem, et est dispositio ad canonizationem, est collatio corporis alicujus personæ in loco sacro decentiori, ut possit ibi a fidelibus aliqua significatione venerationis specialius coli, et invocari, in quo multo minus Ecclesia iudicium determinativum profert de sanctitate alicujus personæ, sed solum concedit illud genus venerationis et honoris circa ejus sepulcrum fieri, quæ inchoative est quædam testificatio de ejus sanctitate, non tamen determinative, et complete. Quid autem hoc certitudinis operetur circa sanctitatem alicujus, et cujus auctoritate possit fieri, infra dicemus.

QUAM ANTIQUA SIT IN ECCLESIA SANG-
TORUM CANONIZATIO.

V. His suppositis quæritur primo, unde sit introducta in Ecclesia, et quam antiqua sanctorum canonizatio. Et quidem quantum ad ipsam substantiam canonizationis, scilicet

quod sancti proponerentur Ecclesie ut colendi, et venerandi, et inter nomina sanctorum ponerentur, et dies festi in eorum memoriam fierent, quod est illos habere pro sanctis, ita antiquum est in Ecclesia, quod ab apostolica traditione descendit, habetque fundamentum in Scriptura, nam sæpe in Scriptura sanctorum virorum catalogus recensetur, et pro sanctis reputantur, ut ad Hebræos xi, ubi multi numerantur a Paulo tamquam sancti: *Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, et hi omnes, inquit, testimonio fidei probati sunt.* Similiter multi ex sanctis viris recensentur a capite xlv Ecclesie usque ad caput xlix.

VI. Modus autem, seu solemnitas exercendi hanc canonizationem diversimode se habuit a principio Ecclesie usque nunc. In Ecclesia enim cœpit fieri canonizatio sanctorum, per hoc quod eorum memoria inter sanctos recenserentur, et eorum dies festi agerentur, nam apud S. Clementum papam, lib. viii constitutionum, cap. xxxiii habetur, ut Apostolorum festis vacent ab operibus, et in die S. Stephani, ac aliorum martyrum. Ipse etiam Clemens, ut refertur in pontificali S. Damasi, et postea Anterus, et Fabianus papa notarios statuerent, qui Romæ acta martyrum exciperent eorumque agones notarent. Et quod hoc fieret, ut tales pro sanctis numerarentur, colligitur ex S. Cypriano, epistola xxxvii: « Dies, inquit, eorum qui excedunt annotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus: sacrificia offerimus quoties passionem martyrum, et dies anniversaria celebratione recolitur. » Et ante ipsum Tertullianus libro de corona militis: Pro natalitiis, inquit, annua die facimus, quod de sanctorum et martyrum festis intelligendum docet optime

Pamelius super hunc locum Tertuliani; Origenes homilia in illud Matthæi: *Vox in Rama audita est* meminit sanctorum Innocentium memoriam a sanctis patribus celebratam. Et in vita S. Gregorii Thaumaturgi inquit S. Nyssenus: « Quod ipse discurrebat apud omnes populos sanciens, ut nomine eorum, qui fide certassent dies festi, atque solemnes conventus agerentur. » Et ejusdem consuetudinis memorias martyrum recitandi meminit Augustinus tractatu LXXXIV in Joannem, et serm. XVII de verbis Apostoli, cap. I, et Concilium Gangense, canone XX, aliaque plura antiquiora Concilia. Hic ergo fuit antiquus mos canonizandi, seu recipiendi aliquem in sanctum, ejus, scilicet memoriam agere, et festos ei dies decernere in Ecclesia. Quod vero id non pro cuiusque libito, sed ex Ecclesiæ judicio fieret, indicat locus insignis Optati Milevitani, libro primo contra Parmenianum, ubi reprehendit quod quis oscularetur os alicujus mortui, et si martyr nondum tamen vindicatus, hoc est approbatus ab Ecclesia. Altera etiam consuetudo pertinens etiam quodammodo ad canonizationem fuit descriptio martyrum, eorumque passionum in martyrologiis, hoc enim erat quodammodo sanctorum catalogo aggregare, cujus consuetudinis initium a Leone papa III incepit; ipse enim primus fuit, qui solemniter ritu ad instantiam Caroli magni S. Hubertum catalogo sanctorum adscripsit. Postea Joannes papa XV. Udalricum in Concilio Lateranensi canonizavit anno 995. Cæterum nondum sibi pontifices reservaverant tunc istam auctoritatem, quia ut refert Petrus Damianus epistola XVI, cap. XXIX, ad Henricum Ravennatem episcopum, super plurimum defunctorum, quos ibi numerat, cadavera, fue-

runt altaria erecta ex sacerdotalis Concilii auctoritate, et hoc erat sanctos canonizare, concedere scilicet ut super corpus defuncti altare erigeretur, et fere hoc modo temporibus illis antiquis canonizationes fiebant, etiam a particularibus episcopis, aut Conciliis concedendo, ut altare super defunctum aliquem erigeretur, et ad ejus memoriam fierent preces, et sacrificia; non quod id pro universali Ecclesia particulares episcopi statuere possent, sed pro suis particularibus diocesisibus. Inde vero ex consuetudine fidelium ad memoriam sancti recurrentium fortassis extendebatur cultus talis sancti, etiam extra illam diocesim. Cæterum episcopi particulares nunquam habuerunt jus canonizandi absolute, et pro tota Ecclesia aliquem sanctum, nec enim legem ferre poterant pro tota Ecclesia. Quod autem dicit Torres Fabianum papam scripsisse episcopis, ut diligentiam exactam adhiberent ad proponendos sanctos colendos, non ita habetur in epistolis Fabiani, quæ est prima inter ejus epistolas, sed solum quod acta, et gesta martyrum excipere, non nisi fidelissimis notariis committatur. Alexander autem III hoc prohibuit episcopis, et soli Romano pontifici reservavit in capite Audivimus citato.

QUID PERTINEAT AD PUBLICUM CULTUM PRO SANCTIS CANONIZATIS?

VII. Secundo quæritur, quænam liceat in publico cultu sanctis canonizatis in eorum honorem facere. Bellarminus libro primo de beatificatione sanctorum, cap. VII, numerat septem, quæ in honorem sancti canonizati fiunt. Primum est, ut ab omnibus publice habeantur, et dicantur sancti, quod est in catalogo

sanctorum adscribere: secundo, in publicis Ecclesiæ precibus, puta litanis, et aliis invocantur: tertio, templa, et altaria in eorum memoriam erigi possunt: quarto, missæ et officium in eorum laudem Deo publice offeruntur: quinto, dies festi in eorum memoriam celebrari possunt: sexto, eorum imagines cum quodam signo venerationis, puta cum aliquo lumine, in signum gloriæ pingi possunt: septimo, eorum reliquiæ publice honorantur, et in pretio habentur. Hæretici cultum istum rident, qui contendunt sanctis non posse honorem sacrum exhiberi et cultum religiosum, quia proprius est Dei, cum oriatur a virtute religionis, quæ solum respicit Deum, ut colendum, cum religio et latria idem sint. Cæterum non est locus hic disputandi de cultu sanctis debito, et quomodo religiosus, et sacer cultus esse debet; id enim disputatur a theologis III part. quæst. XXV, articulo V et VI, et 2-2, quæst. LXXXII, articulo II, et quæst. LXXXIV, articulo IV. Illud solum observari potest cultum aliquem dici posse sacrum, aut religiosum dupliciter, vel quia elicitur a virtute religionis, vel quia imperatur ab illa. Primo modo, cultus sanctorum non elicitur directe, et per se a virtute religionis, ita quod ad sanctos per se terminetur, undelicet oremus sanctos non tamen eis impendimus cultum religionis, ut docet S. Thomas, 2-2, quæstione LXXXIII, articulo IV ad primum. Possumus tamen actum religionis exercere circa sanctos, non quatenus terminatur ad ipsos, sed quatenus transit ad Deum, in quantum scilicet in ministris Dei Deum veneramus, ut docet S. Thomas ibidem quæst. LXXXII, articulo II ad tertium. Quod expresse etiam dicit Ambrosius sermone primo de sanctis, et Hieronymus epistola LIII, quod honoremus sanctos, ut honor

eorum redundet ad Dominum. Secundo autem modo, scilicet imperativo cultus religiosus impenditur sanctis, quatenus religio imperat dulciæ, quæ est distincta virtus a religione, ut docet D. Thomas 2-2, quæst. CIII, articulo III; a dulcia autem procedit veneratio sanctorum, ut docet III part. quæst. XXV, articulo V. Et ita exhibetur sanctis honos sacer, et cultus religiosus non quidem ab ipsa religione directe elicitus, sed a dulcia elicitus, et a religione, seu latria formatus, seu imperatus, quatenus sancti sunt in statu deifico, et ipsi Deo proxime conjuncti.

DE CERTITUDINE CANONIZATIONIS.

VIII. Tertio quæritur, qua certitudine tenendum sit sanctos canonizatos vere esse sanctos, et pontificem non errare in canonizatione eorum. In hac quæstione supponendum est pro certo esse de fide, quod pontifex, et Ecclesia habent potestatem canonizandi sanctos: est enim longe diversum Ecclesiam habere potestatem ad canonizandum sanctos, et Ecclesiam non posse errare in ipsis canonizandis. Primum enim est certum, quod sit de fide, non secundum; sicuti est certum in Ecclesia esse potestatem gubernativam, et papam posse leges ferre, non tamen est ita certum, quod in ferendis legibus errare non possit, aut in causis decidendis. De hoc videatur magister Bagnez 2-2, quæst. I, articulo I in commentariis, dub. VII, et Torres 2-2, disp. XVI, dub. III. Et constat ex traditione antiquissima Ecclesiæ supra relata, qua sanctos venerandos, et pro sanctis colendos posse proponi ostendimus, et ita in septima Synodo generali, actione III, §. His itaque, etc. dicitur apostolicas Ec-